

Opera Chirurgica

# AMBROSII PARAEI, GALLIARVM REGIS PRIMARII, ET PARISIENSIS CHIRVRGI.

Quibus continentur,

*Non solum perfectissima curandi ratio tumores prater naturam, vulnera, ulcera, luxationes, & fracturas:*

*Verum etiam humani corporis, singularumq; eius partium, exactissima anatome:*

*Curationes item multorum aliorum affectuum qui Chirurghi exposcunt manum, & ab alijs hactenus descripti non sunt:*

*Insuper physiologica multa, & therapeutica, lectu dignissima: cum Philosophis, tum Medicis ap- primè utilia & necessaria.*

**A DOCTO VIRO, PLERISQVE LOCIS RE-**  
cognita: & latinitate donata.

**IACOBI GVILLEMEAV, REGII ET PARISIENSIS CHI-**  
rurgi labore & diligentia.

**OMNIA NUNC DEMVM MAGNO STUDIO ELIMATA: ET**  
nouis iconibus elegantissimis illustrata.

*Cum Gratia & Privilegio Casar. Maiest.*




**FRANCOFVRTI AD MOENVM, APVD**  
Ioannem Feyrabend, Impensis Petri Fischeri.

M. D. XCIIII.



A nes in vicinis fugæ locis suffodiunt, in quas incauta præceps labatur eius hîc delineationem appinxi, ex Theueti Cosmographia. Tom. 2. lib. 23. cap. 1.

## TYPVS SVCCARATH.



## De Avium &amp; canum mutua in Dominos charitate.

Ciconia parentes senectute defectos nutrit æquales autem casu aliquo volandi impotentes, alijs, dorsoq; iuvat, & sustentat. Itaq; observantia & pietate erga parentes, amore velut fraterno erga æquales commendabiles sunt Ciconiæ. Ciconiarum pietas.

Gallina imminente aliquo periculo pullos sub alas cogit, & illo tanquam præsidio quantum potest tuetur, sese pro illis sæuissimarum ferarum rapacitati objicit, imo inuolat in oculos canis, lupi, vrsi, si forte quid in suos fœtus moliantur.

Quis verò non miretur canum erga dominos fidelitatem & amorem quibus nutritatus officia rependunt? Nunquam à domino canis deficit, ne si miseris quidem modis ab illo excipiatur: Nullum enim baculum tam durum reperire potest quis, quo canem sibi semel deditum à se possit abigere. Nullum est animalis genus quod certius, promptius domini sui reminiscatur. Domesticorum & amicorum voces agnoscit: Nullaque (vel Cicerone authore) esse potest, quam canum fidelior custodia. Mitto odorem canum vim qua per vestigia dominos præfagiunt & vestigant. Mitto infinita fidelitatis canum exempla, quæ longum esset commemorare. Canum fidelitas & sagacitas.

Columborum genus tam mas quam fœmina, quamuis lumbos, id est venerem insigniter colat, adulteria tamen nescit, quin & fœmina coniugem marem morosum patitur, neq; ab illo deficit, imo officiosa charitate illum sibi reconciliatum in oscula redire cogit, nec vtriusq; in fœtus amor est languidior. Columbi adulteriane sciunt.

Par charitatis ardor turtures iuicem conciliat, amisso enim coniuge, superstes nunquam nouum celebrat hymenæum, nec vnquam exinde nisi in arido & viriditate viduo ramali sedit. Turtures ad secundas nuptias nō conuolant.

## De Elephantum robore, pietate, docilitate, clementia, castitate, &amp; gratitudine.

Inter terrestria animalia nullum vastius, robustius, & formidolosius Elephantum. Robur testantur turrata illa propugnacula, armatis militibus plena, quibus onusti in prælia alacres ruunt. Inuicti alioqui animi Romanos milites, quo prælio contra Antiochum decertarunt, corporum nunquam ante visa vastitate & immunitate sic terruerunt, vt statim in fugam verterint. Quæ cum ita sint, tamen mirum est quas de illis narrent virtutes Physici. Scribit Plinius Elephantem ad humanum in- Lib. 8. cap. 1.



*Elephantis  
religio.*

num ingenium proximè accedere, rudemque notionem idiomatis habere. Miram illorum esse in obsequijs facilitatem, miram memoriam in solitis muneribus obeundis. Quòd ad religionem attinet, prodit Plutarchus eos dijs preces fundere, se aqua marina lustrare, solem orientem proboscide manuum loco in cœlum elata, pio ritu & magna obseruantia colere. Addit Plinius pari cultu lunam, stellasque illos prosequi: nam & Arabum memorant historiæ, noua luna magnis agminibus Elephantes in flumina descendere, illic se aqua abluere, lustratos lunam flexis genibus venerari, inde in syluas se recipere seniore præeunte, & inde pro ætatis ratione sequentibus cæteris. Contigisse aliquando narrat Plutarchus, vt ex Elephantis qui ad spectacula panegyrica Romæ instruebantur vnus tardiore esset ingenio, & minus docili, quo nomine focijs erat contemptui, & plagas sæpè à magistro ferebat. Hunc verò quò diligentia illam suppleret ingenij tarditatem, sæpè obseruatum de nocte, ad lunæ lucentis radios, ea meditantem & recolentem, quæ interdiu à magistro acceperat: Nam literas ducere ac pingere, coronas adstantibus offerre, & alia similia ludicra edocentur. Cæterum in regione peregrinas traiecto mari transportandi nunquam adduci possunt vt nauem conscendant, quin à magistro fide data de reditu in natale solum certiores facti fuerint. Nunquam quemquam lædunt nisi prouocati. Nunquam mas fœminam inuit nisi in abdito, verecundi animi argumentum.

*Plinius lib. 8.  
cap. 5.*

#### *De Lampetra.*

*Lampetra o-  
uipara & vi-  
uipara dici  
potest.*

Ne charitatis ardor sub aquis restinctus videatur, apposito exemplo delibemus quonam cedant mutuo inuicem amore, aquatilia terrestribus, infinitum esset omnia persequi. Lampetra inter huius generis bruta palmam facilè meretur, pietatis in parentes, & charitatis in sobolem. Primò enim oua intra se parit: Mox verò ibidem ex ouis fœtus procreat, nec verò conformatam, procreatamque prolem statim foras in lucem exponit, reliquorum piscium viuiparorum instar, sed duo in aluo nutrit, quasi bis pareret & superfœtaret. Non ergo ante excludit quàm grandiores fuerint fœtus, tum docet eos nare, & in aqua ita ludere, vt non longè à se abscedere patiat, rursum hiante ore, reclusa aluo, in corporis sui penetralia illos recipit. Tandiu illic hospitari, & cibum è proprijs visceribus capere permittens quandiu opus esse nouerit.

#### *Quod cicurari possunt bruta.*

*Cosmograph.  
Tom. 2. lib.  
19. cap. 7.*

Theuetus Turcarum Imperatorem Cairi (Memphis olim fuit) Constantinopoli habere in delicijs altilis, feras crudeles plurimas, vt Leones, Tigres, Leopardos, Lupos ceruarios, Camelos, Elephantes, Echinos & alias multas huius generis prodit: has catenis ferreis vinctas per urbem ad spectaculum ducunt. Magistri campanulis cinguntur, quarum strepitu plebs sibi cauere ab improvido huiusmodi ferarum impetu iubetur. Sed spe præmij & muneris illecti, ipsarum spectaculum peregrinarum nationum legatis, & magnatibus viris, exhibere gestiunt, coram quibus belluas mille ludibria oblectamenti plena edere cogunt: interim modis & numeris patrijs tibias inflant, & alia organa musica pulsant, comœdias agunt, colluctantur stipi inhiantes.

#### *Quod etiam aquatilia bruta possunt cicurari.*

Longe verò admirabilius est mansuescere & condoceseri humanis artibus aquatilia bruta in quo censu in primis habentur anguillæ: multi idem de murena proderunt. Nam & scriptum legimus M. Crasso murenam in piscina fuisse adeo cicurem, & condocesactam, vt illi ad arbitrium esset obsequens. Itaque velut domesticæ & mansuesactæ belluæ nomē, imposuerat, quo aduocata accurrebat. Quare mortuam Atratus velut filiam luxit. Quod ei collega C. N. Domitius tanquam probrum cum objecisset, retorfit tres ei mortuas coniuges quarum nullam luxisset.

#### *Quod Bruta homines docuerint arma polire, acuerere, & ex insidijs hostem adoriri.*

Milites id studiosè agunt, vt arma à rubigine tueantur, Itaque ea sæpè politori polienda tradunt. At in hoc curæ genere permulta illis bruta non cedunt: Nam & Apri dentes ad pugnam acuunt: Elephantes verò quod intelligant alterius suorum dentium acu-

tium acu-



A tium acumen, suffodiendo plantas radices vnde cibum capiant auellendo hebetari, alterum intemeratum seruant, nulliusq; rei contactu alteri patiuntur vt in pugna aduersus Rhinoceros & alios hostes possit esse vsui. Sed in Rhinocerotis ingenio hoc venit valde notandum, quod cum aduersus Elephantem, perpetua illi sint odia quo tempore se ad pugnam adornant, cornu ad rupem tanquam ad cotem acuit, nec Elephantis aliam partem quantum fieri potest appetit quam ventrem, quod nouerit illam mollitie esse eiusmodi quæ noxæ facile peruia sit. Id animal longitudine Elephantem æquat, at altitudine superat, ob crurum breuitatem colore est buxæo multis maculis distincto.

*Rhinocerotis  
contra Ele-  
phantem pu-  
gnaturi astu-  
tia.*

*Typus Rhinocerotis, & Elephantis: quemadmodum armati in pugnam predeant.*



*De Leone, Ichneumone & alijs quæ minimè terrentur animantibus.*

C Leo semper incedit vnguibus contractis, & sua tanquam vagina conclusis, non modo ne per impressa pedum vestigia comperiri & comprehendi possit, sed multò magis, ne incedendi continuo attritu vnguium acumen hebetetur & obtundatur. Tauri decertantes cornua intentant, seq; cordatorum militum instar, ad certamen animant & excitant.

*Leonis in in-  
cedendo pru-  
dentia.*

Ichneumon strenui militis ad pugnam accinctum & apparatus æmulatur, itaque luto conspergit se, ac tanquam lorica vndiq; cingit & munit, tum maximè cum contra Crocodilum ineunda pugna. Quem quantumlibet magna se mole ferentem in fugam vertit, pusillum id animal. Hoc certè singulari naturæ prouidentia immanibus omnibus belluis inesse, iam pridem notatum est, vt vel minimis rebus, vnde nullum potest contingere periculum terreantur. Sic enim Elephantem porci grun-  
nitu, Leonem galli cantu obstupescere memorant, quamuis de Leone illud sit pro-  
ditum, nullo metu adduci posse vt faciem auertat. Eiusmodi terrores, pauores & cō-  
sternationes ex leui admodum & ridenda occasione, nulla certa de causa natas, in-

*Maximiq;  
minimis ter-  
rentur.*

D gentes militum copias & robore insignes exercitus fuisse, & in fugam vertisse, tum antiquis, tum nostrorum temporum historijs est proditum.

*De Gallis.*

Aues sunt regiae, Galli: itaq; & crista tanquam corona regia insigniuit illòs natura, ac quocunq; locorum venerint, animis atq; audacia regnant, rostro & calcaribus pugnant: martia verò tanquam voce Leonem alioqui ferarum regem terrent.

*Galli aueste-  
gia & mar-  
tia.*

*De Cuniculis.*

Cuniculi nos docuerunt suffodiendæ terræ artes quibus turritas vrbes & æquitas cælo machinas substracto fundamento, solo æquamus. Scripsit M. Varro in Hispania haud incelebrem pagum loco arenoso ad eò ingenti vi cuniculorum effossum fuisse, vt dirutis & prostratis ædificijs omnibus, coacti fuerint incolæ aliò migrare & nouas sedes quærere.

*Suffodiendi  
solertiam cu-  
niculi nos do-  
cuerunt.*

E

*De Lupis.*



In mari rubro secundum Arabiam nauigantibus, apparet insula Arabibus Ca- A demota dicta, in cuius ea regione quam Plata flumen aluit, visitur fera Barbaris incolis Pyraffouppi dicta, mulo magnitudine par, capite haud absimili, hirta tamen, vrsinis velut pilis vestita, sed haud adeò obscuris, verùm ad flauum inclinantibus, bifulcis vt ceruus pedibus, duo procera capite, sed minimè arborea gestat cornua, vnicornium cornibus illis famatissimis affinia. Indigenæ enim, bestix aut piscis venenati dente demorfi, aqua epota in qua sex vel septem dies eiusmodi cornua demersa & infusa fuerint, statim leuantur & conualescunt, vt narrat Theuetus in Cosmographia.

In Molucarum insularum vna amphibium Crocodoli instar visitur animal, Camphurch dictum, magnitudine ceruum æquat, cornu gestat in fronte mobile, ferè vt crista Galli Indici, trium pedum & dimidij longitudine, haud vnquam humano brachio crassius, pilo cinerei coloris ceruix obuestita ipsi est: palmas duas ha- B bet anserinis similes, quibus in aquis dulcibus falsisque ad nandum vtitur. Pedes anteriores ceruinis sunt affines, piscibus viuit. Plerique sibi persuaserunt id animal vnicornis speciem esse: itaque eius cornu aduersum venena esse efficacem. Rex insulæ eius feræ nomine insigniri gaudet: sic enim alij reges ferarum, piscium, aut fructuum tota regione sua nobilissimorum nomen sibi adoptant, vt narrat Theuetus.

Elephantes Indici Africa nis sunt maiores.

Mauritania & Æthiopia, eaq; quæ trans deserta, Syrticasq; solitudines est Africa ca Elephantes gignit, sed Indici longè maiores sunt. Etsi verò corporis magnitudine quadrupeda omnia superent, reliquis tamen magis & expeditius cicurantur. Multa enim supra communem brutorum naturam munia obire docentur. Corio

Elephantorū crura pluribus ossibus sunt dearticulata.

integuntur bupalino simili, pilo raro consperso, sed cinereo, capite crasso, ceruice breui, auribus duos palmos latis, naso longissimo, & ferè in terram promisso, buccinæ instar cauo, quo manuum loco vtuntur, os non longè à pectore habent, suillo haud absimile: ex cuius superna parte, duo magni dentes se foràs exerunt, crura C crassa, rubustaque non vno osse constantia, vt plerisque olim persuasum fuit (quandoquidem ingeniculantur vt sessorem, vel onus admittant, exurguntq; inde ipsi per se) in pedes desinunt disci instar rotundos, duos, trèsvè palmos latos, inque vngues

Quo se praesidio contra vespas tueantur elephant.

quinque diuisios. Caudam habent bupalinæ similem, haud admodum hirtam, tres palmos longam: itaque pessimè à muscis, vespisq; vexarentur, nisi natura illam caudæ breuitatem alio subsidio compensasset: vbi enim acrius se pungi sentiunt, tanta rigiditate cutem contrahunt, vt ipsius rugis implicita constrictaque hæc ani-

Qui vehuntur elephantotōturbantur vt qui nauis in mari.

malcula suffocent & enecent. Currentem hominem solo assequuntur passu. Est enim his corporis, & crurum magnitudini proportionatus. Fructibus & folijs arborum viuunt, nec verò vlla est tam valida tamq; altis defixa radicibus arbor, quàm non prosternant & diffringant. Ad sexdecim palmorum altitudinem crescunt, itaque tam conturbantur qui elephantem quàm qui mare primùm conscendunt.

Lingua indigena intelliguntur elephant.

Adeò effrenes sunt natura vt habenarum omnino sint impatientes. Itaque iter, cursumque tenere quem voluerint sinendi sunt. Suæ tamen regionis hominibus D non grauata obsequuntur, indigenam enim linguam non sine intelligentia audire videntur. Itaque notis vocibus, verbisque facile reguntur, hominem cui irati sint

Lib. 9. de hist. anim. ca. 27.

proboscide arreptum, & in altum sublatum magna inde vi in terram prosternunt, pedibusq; conculcatum non ante dimittunt quam animam exhalarit. Non gignere elephantem antequam vigesimum ætatis annum attigerint prodit Aristoteles.

Nescitur quandiu Elephantes ferant in vtero foetum.

Adulteria nesciunt, neque enim præter vnã foeminã attingunt, à qua etiam sedulo abstinent cum grauidam esse cognouerint quandiu foeminæ vtero ferant sciri nequit. Causa quòd non pateat coitus: nam nisi in abdito mares non ineunt. Parriunt foeminæ enitentes posterioribus cruribus, & cum dolore mulierum instar, recens editus foetus lambunt, hi statim editi cernunt & ambulant, oreque sugunt non

Samolin vita parit. et ob id longam. Kerk. de sp. 12. probl. 3. Idem sup. 18. 4. 2.

promuscide. Elephantorum dentes monstrosæ ac stupendæ magnitudinis, Venetijs, Romæ, Neapoli, & Lutetiæ visuntur: ebur appellant, quod in arculas, lyras, pectines, & similia hominum vsibus apta materia cedit. *Sono delstante et capiente. B. Porta. 20. c. 7.* Vnum dantur inbomeratum de pugnam referrat. supra pag. a.



A

## Elephantis effigies.



B

Proditum apud Theuetum legimus in noui orbis Florida ingentes cerni Tauros, Butrol Barbarorum lingua dictos, pedalia cornua gerentes, gibbamq; in dorso camelinae similem, pilo promisso & fuluo, cauda leonina, non est ferè aliud magis ferum animal, nunquam enim cicuratur nisi matri ereptum. Pellium tegminibus Barbari aduersum hyemis inclementiam, cornibus verò velut alexiteriam vim habentibus aduersum venena se muniunt.

Tom. 2. lib. 23. cap. 2.

Cornua alexiteria vim habentia.

Idem author prodit, vidisse se dum Mari rubro veheretur, penes Indos mercatores monstrum magnitudine & membrorum conformatione Tigridi haud absimile, facie tamen humana, sed naribus valdè resimis. Quin anteriores palmae humanis manibus, posteriores verò Tigridis pedibus similes erant. Cauda carebat, pilo vestitum fusco: deniq; capite, auriculis, ceruice & ore hominem referebat, subnigris verò sed crispis capillis Æthiopem, cætera Tigris. Thanaeth nominabant.

Tom. 1. lib. 2. cap. 10.

C

Vix nisi apud eos qui viderint quod sequitur monstrum fidem impetrabit. Id fert Africa, vernaculaq; lingua Haiit nominat magnitudine Cercopitheco minori par est, ventre valdè prouoluto & in terram promisso, capite & facie puerum referens. Captum gemit, suspiriaq; de imò pectore trahit hominis anxij & dolentis instar, colore cineritio est, pedumque palmis in tres vngues, quatuor digitos longos leoninis vncis acutiores, distinctis. In arbores scãdit, illicq; frequentius quàm in terra degit, cauda tres non amplius digitos longa. Mirum est & monstro simile, quòd id genus monstra depasci & esitare quidquam nunquam quisquam conspexerit. Secum enim mapalibus inclusa diu Barbari periculum eius rei facturi detinuerunt: itaque ventorum afflatu viuere credunt.

Ex Leonis Africana historia quod sequitur monstrum transtuli, valdè deforme est, & rotundo testudinis in modum ambitu, dorsum eius lineæ duæ flauæ mutuo se ad angulos rectos diuidentes interfecant, ad quarum singula extrema singuli oculi, singulaq; aures affixæ visuntur adeò vt tale animal vndique quatuor oculis videat, totidem auribus audiat. Vnicum tamen os, ventremq; vnicum habet ciborum receptaculum. Pluribus verò pedibus globosum eius corpus cinctum est, quorum opera in omnem partem qua libitum est incedere valet, absque vlllo corporis circumactu. Cauda oblonga est & in extremo sui valdè villosa. Afferunt incolæ eius animalis sanguinem vulneribus glutinandis quouis balsamo esse efficaciorum.


Sanguis balsami instar collicicus.

Mirum est genitum Elephanto hostem esse Rhinocerotam. Itaque cornu quod vnicum in nare gestat ad saxa limato præparat se pugnae, in dimicatione alium maximè petens, quam scit esse molliorem. Longitudo Elephanto par, crura verò multo breuiora, color buxeus, aliquot tamen locis maculis distinctus. Spectandum Rhinocerotam primus Romæ Pompeius exhibuit.

Plin. li. 8. cap. 29.

Rhino





Plin. libro 8.  
cap. 33.

Arist. lib. 2.  
de hist. ani-  
mal. cap. 12.  
Chameleon  
qui circum-  
spiciat.

Coloris cha-  
meleonti na-  
tura mira-  
bilis.

Ad maculas  
corneae albas  
remedium.  
Depilatoriū.

Chameleontem Africa gignit: quanquam frequentior Indiae est. Figura & magnitudo erat lacertae: nisi crura essent recta, excelsiora latera ventri iunguntur ut piscibus, spinaque simili modo eminet. Eminere rostrum, ut in paruo haud absimile fuillo, cauda praelonga in tenuitatem desinens, & implicans se viperinis orbibus, unguis adunci: motus tardior ut testudini: corpus asperum seu crocodilo: oculos nunquam aperit nec pupillae motu, sed totius oculi versione circumspicit. Omnino coloris ei mirabilis natura: mutat namque eum subinde cum praesertim se proprio motu in tumorem agit, & oculis & cauda & toto corpore, redditque semper quemcunque proximè attingit, praeter rubrum & candidum. Cutis ipsi est valde tenuis perlucidumque corpus. Itaque duorum alterutrum, vel in cutis perlucidae tanta tenuitate rerum vicinarum color tanquam in speculo facile relucet, vel variè varij in ipso humores commoti pro animi affectuum varietate, varios in cute colores adumbrant, tanquam pullus Indicus in palearibus ex gutture & vertice pendentibus: defuncto pallor est. Scribit Mathiolus ipsi viuo dextrum oculum reuulsum maculas albas corneae tunicae infidentes extergere: cum caprino lacte mixtum, & corpori affricatum pilos decutere, fel eius cataractas oculorum digerit.

Chameleonis effigies.



De caelestibus monstris. CAP. XXIII.

Cometa cri-  
ne sanguineo  
horridus.

**I**N terra, marique monstra gigni monstruosum forte non fuerit: at in caelo summoque aere monstra esse & videri, omnem superat monstri admirationem. Veterum tamen scriptis proditum crebro legimus, cometis barbatis, caudatis, capillatis, facibus, lampadibus ardētibus, columnis, bolidibus, clypeis, nubium hostiliter concurrentium agminibus, draconibus, duplicatis lunis, solibus & similibus monstris ac prodigijs, caeli faciem fuisse deformatam. Sed nihil magis prodigiosum vidit antiquitas eo cometa qui in Rustrica crine sanguineo horrens apparuit, 9. die Octobris anno 1528. adeo enim visu horribilis, adeo formidolosus erat, ut non pauci metu horrifico interierint, multi in morbos graues inciderint. Ab Oriente ad Meridiem progressus horam non amplius vnam & quar-



A & quartam eius partē duravit. In eius summo brachium incuruū visebatur, ingentem ensem manu minitabunda tenens, ad extremum tres apparebant stelle, sed cui ad perpendicularum imminebat mucro, reliquis clarior & splendidior erat, vtrinque ad radiantia huius cometæ latera hastæ multæ, enses, pugiones, gladiatorumque genera plura sanguine tincta, quibus humana capita multa capillis horrentibus, hispidaque barba tristia interiecta, visebantur: vt in subiecta imagine licet intueri.

Visi quoque sunt magni crassique longurij ferrei è cælo procidisse, qui in gladios ensesque mox exclusi sunt. Sugolix ad Hungariæ fines saxum è cælo cum ingenti fragore lapsum est, 7. die Septembris anno Domini 1514. pondo ducentarum quinquaginta librarum: id ciues ingenti catena ferrea traiectum ex medio ciuitatis templo pendere voluerunt, viatoribusque per regionem suam diuitibus magni miraculi loco monstrari. Armorum crepitus & tubæ sonitus auditos è cælo Cimbricis bellis, crebrosque prius & postea author est Plinius. Tertio verò consulatu Marij ab Amerinis & Tudertibus spectata arma cælestia ab Ortu Occasusque, inter se concurrentia pulsus quæ ab ortu erant idem author prodit. Quod idem in Lusalia visum est ad Iubenum pagum duabus post mediam noctem horis, anno Domini 1535. sed & anno Domini 1550. die 19. Iulij in Saxonia non longè à Vvitemberga apparuit in aère ingens ceruus duabus armatis aciebus cinctus, magnum inter conflegendum strepitum cientibus: eodemque momento sanguine copioso pluit, sol in duo fragmenta findi, eorum altero in terram prolapsus visus est. Paulo ante ereptam Christianis Constantinopolim apparuit ingens in aère ad pugnam instructum & armatum agmen, cum canum & aliarum ferarum multa turba. Anno Domini 458. carne pluisse in Italia maioribus, minoribusque frustis prodit Iulius Obsequius. Horum pars antequam in terram laberetur ab auibus exsorbta est, quæ in terram decidit diu non putruit, nec colore, nec odore mutata. Anno Domini 589. imperante Othone tertio, frumento pluit in Italia. Anno Domini 180. lacte & oleo magna vi pluit, fructiferæque arbores frumentum tulere. Narrat Lycosthenes imperante Carolo quinto, dum Magdeburgum obsidebatur, tres soles sub horam septimam matutinam primum, indeque per totum diem visos, quorum medius lucidissimus, reliqui duo subrubri & sanguineo colore essent, nocte verò tres lunas apparuisse. Idem in Bauaria apparuit anno Domini 1554. Quod si in cælo præter communem naturæ ordinem tam prodigiosa, portentosaque fiunt, eadem in terra fieri incredibile ducemus? Anno Domini 542. tota terra contremuit, mons Ætna flammam, scintillantesque ignes vomuit, quibus vicinorum oppidorum & pagorum multorum ædificia conflagnarunt. Anno Domini 1531. in Portugalia octo dies terra tremuit, & singulis diebus septies octiesve, adeo vt in vna Lisbona vrbe 1050. ædificia ruerint, & amplius sexcenta rimis acta crepuerint. Nuper Ferraria terræ motu horrendo tota ferè diruta est. Super omnia quæ vnquam audita sunt, est prodigium quod Plinij æuo Neronis principis ruina factum in agro Marrucino, Vectij Marcelli è primis equestris ordinis Oliueto vniuerso publicam viam transgresso, armisque inde è contrario in locum Oliueti profectis.

D Quid aquarum miracula commemorem? ex quarum abyssis & gurgitibus sæpè ignes flammarumque globi ingentes eruperunt. Prodiunt ex D. Augustino, ignem sacrificij, qui per septuaginta annos Babylonicæ ciuitatis sub aquis vixerat, extinctum fuisse Antiocho vendente Iasoni sacrificium. Quid hoc miraculi est, ignem in aqua valere supra vim suam virtutemque insitam, aquam verò extinguentis naturæ obliuisci. Profectò verè hoc Philosophi dicunt, elementa sibi mutuis complexibus illigari & mirabili coniungi confederatione, quæ inter se contraria intelliguntur, varietate pugnare.

FINIS LIBRI VIGESIMIQUARTI

DE SIM.

Decidui è cælo ferrei longurij.

Lib. 2. ca. 57.

Præfagia Constantino politana euerisionis. Pluuia monstrosa.

Terræ motus.

Terra de loco ad locum ingenti motu mutatio.

Ignes ex abyssis erumpentes.

Ignis sub aquis viuens.